Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 355
Quelle:
Copyright:



*que mollisce dicuntur*. Meminit Nucis molluscae *Plinius* L. XV. c. 22. et *Macrobius* L. II. *Saturnal.* c. 14. ubi et *Persicum* vocat. Dolendum, situ et aevo multa e Glossis et Scholiis evanuisse, aut paene extrita fuisse.

II. *fol.* 39. p. 2. minio: *Versus Asterii qui collegit. R. S.* Quid si legas *Reliqua Sedulii?* et illud, quod de Chartulis recollectis, ut jam supra injeci dubium, fertur, non de Carmine Paschali, sed de hac Elegia intelligas? Sunt tamen, qui eam simpliciter *Asterio*, sunt, qui *Claudiano Mamerto* adscribunt, ut notat *Leyserus supracit.* Interim in margine nostro a manu coaeva legas: *Carmen de Mediatore Sedulii.* Contuli Nostra cum *Bibl. PP. Lugd.* T. IX. p. 464. et sequentes lectiones praefero:

| | Codex | Impressa |
|---|---|---|
| V. 18. | *quam reserat* | *quam referat* |
| 19. | *dum praeualet heres* i. e. Jacob. | *heros* |
| 21. | *uenatus crimine fratrum* lege *venitus.* | *distractus*, quod recens subpositum. |
| 31. | *caput terrae cultoris* i. e. Vituli. | *capit ἄλογον* |
| 41. | *dum circuit hostem* | *hostis* |
| 58. | *respuit hic mundus*, i. e. antiquo obpositus. | *heu mundus* |
| 68. | *nec credunt homines* | *nec cernunt* |
| 75. | *Sanguine leta bibet* | *laeta redit* |
| 91. | *firmauit vota priorum*, i. e. antiqu. Patrum. | *vota piorum* |
| 96. | *Spes in fine piis* | *in fine diis* |
| 98. | *Qui dedit, ut credant* | *ut credat* |

Neque huic Elegiae Glossae desunt et scholia, atque mox ad principium adnotatur: *Paraetere grece repercussio. inde paractericum carmen dicitur repercussum eo quod repercutiatur unus uersus ab altero. hoc est initium primi fit ultimum secundi.* Quid *Paraetere* seu potius *Paractere?* An a Παραγειν, quod initium Hexametri *producatur*, vel *progrediatur* ad Pentametri finem? An παρακτηρικον formatum, ut παρακτης, quem *Hesychius* venaticorum canum ductorem facit? Mihi potius Librarius totum corrupisse videtur; cum enim Elegia haec etiam *Exhortatorium ad Fideles* inscribi reperiatur, facile Παραινεσις et Παραινετικον ad hunc modum depravari potuere.

III. *fol.* 41. p. 2. *Ymnus sancti Sedulii presbiteri.* Videlicet il-

le